

tam administraret; aliiq̄ innumeri; & hodiè est Vice-Rex Neapolitanus, Siculus &c.

X. Hinc etiam de tempore constat, quod est Interregni. Interregnum autem varias causas suæ existentiae agnoscit. *Fuit apud Romanos mos* (liceat verbis *Alexandri ab Alex. lib. V. Genial. Dier. c. 6. uti:*) *post exactos Reges, ut si qua fortuna aut casu Consules creari nequirent, vel vitio creati forent, aut si qua turbulenta confusio & necessitas premeret, donec de Consulatu decerneretur, aut Dictator Reip. daretur, Interreges præessent, qui populo vice Consulum jura darent. Quin etiam si contentio inter Patres & plebem foret de Magistratibus creandis, aut absentibus Consulibus, Comitia haberi non possent, vel vitio creatis Magistratibus auspicia renovari oporteret, vel Consulibus morte ablatis, de Comitibus & creandis Consulibus contentio esset, Interreges creari compertum est, ut essent, qui Comitia haberent, Magistratusq̄ munia obirent.*

XI. Idem & aliis temporibus atq̄ locis non rarò accidit. Quanta contigerunt Interregna (ut domi habitem) in Imperio? Nondum Rudolphus I. Imperator creatus fuerat, quod demum anno, seculi duodecimi, septuagesimo tertio factum est, cum in Sacratissimo Imperio foeda facies ἀναρχίας existeret, si aliàs πολυαρχίαν turpem Anarchiæ nomine insignire licet; Eò enim tempore septem Regnum possidebant & dilacerabant: Erat verò Conradus & Manfredus, (ille filius ex legitimo, hic nothus ex impuro toro natus Friderici II.) Wilhelmus Comes Hollandiæ, Fridericus Comes Schwarzburgicus, Henricus Landgravius Thuringiæ, Richardus Comes Cornubiæ & Rex Castellæ Alphonsus Sapiens nomine & omine; nam videns regnum non sibi, sed Rudolpho Habsburgensi tradi, libenter abstinuit ab omni zelo aut cupiditate regnandi. Illud verò Interregnum primordia trahebat ex contentione Principum eligentium. Nam A. C. 1258. eligebat biga Eorum, Palatinus scilicet & Coloniensis Richardum; Moguntinus, Trevirensis & Brandenburgicus Alphonsum. Ut taceam plura alia exempla.

XII. Quibus hunc in modum deductis, constabit, opinor, quò sensu hæc distinctio Majestatis in Realem & Personalem tutò adhiberi possit. Sed cavendum, ne eâ abutantur seditiosi Regicida,
D qui